

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Festevangelistar - Cod. St. Peter perg. 7**

**Oberrhein (?), [um 1200]**

In Nativitate Domini

[urn:nbn:de:bsz:31-13726](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-13726)



IN NAT DNI. IN ITIU. SCI. FV. SC DM IOHM.  
IN PRINCIPIO ERAT



uerbum. Et uerbum erat apud deum. Et deus erat uerbum.  
Hoc erat in principio apud deum. Omnia per ipsum facta  
sunt. et sine ipso factum est nihil. Quod factum est. in  
ipso uita erat. Et uita erat lux hominum. et lux in tene-  
bris lucet. et tenebre eam non comprehenderunt. Fuit ho-  
mo missus a deo. cui nomen erat iohannes. Hic uenit in  
testimonium ut testimonium perhiberet de lumine. ut  
omnes crederent per illum. Non erat ille lux. sed ut tes-  
timonium perhiberet de lumine. Erat lux uera. que il-  
luminat omnem hominem uenientem in mundum. In  
mundo erat. et mundus per ipsum factus est. et mundus eum non  
cognouit. In propria uenit. et sui eum non receperunt. Quotquot  
autem receperunt eum. dedit eis potestatem filios dei fieri. his qui  
credunt in nomine eius. qui non ex sanguinibus. neque ex uoluntate  
carnis. neque ex uoluntate uiri. sed ex deo nati sunt. Et uerbum ca-  
ro factum est. et habitauit in nobis. et uicimus gloriam eius. gloria  
quasi unigeniti a patre. plenum gratie et ueritatis.